

IOANNES STOFFLERVS MATHEMATICVS TVBINGENSIS.



Ioannes patria Iustingensis ex honestis parentibus natus est anno 1452. Is cum preclaro ingenio insignis esset, diligentem operam literis nauauit, atque hinc inde Germanie Academias uisitando Mathematicis disciplinis diligenter incubuit. Itaque factum ut in eo genere doctrinæ ad miraculum usque excellerit, & nulli secundus extiterit. Vnde Tubingensis scholæ proceres eum inter professores receperunt, & Mathemata publicè exponere iusserunt. Id quod ipse singulari industria perfecit, atque sibi magnū nomen apud omnes doctos comparauit. Scripsit preterea clarorum opus Ephemeridum ab anno 1531 ad proximè subsequentes uiginti annos usque, id quod ad ueterum imitationem accuratissimo calculo elaboratum. deinde rationem compositionis Astrolabiorum, cum explanatione eorundem usuum, declarauit, ac Procli Sphærām commentarijs illustravit. Cum hoc modo bo-